

(unknown project)

Passio s. Proculi episcopi et martyris (BHL 6957)

Proculus de Syriae partibus Romam uenit, cum gloriosa societate et uera fraternitate, tempore Iustini imperatoris, et Romanam prouinciam sua predicatione ac miraculis illustrauit, sicut sol fugans nebulas; Interamnensem uero ciuitatem, ordine et pastoralis cura, Bononia autem, sui pro Christo sanguinis effusione sacrauit. Hic a uentre matris consecratus Deo, et inter uasa gloriae deputatus, tempore prefato in crypta Neroniana se conferens, penitentiae opera peragebat, bis tantum in hebdomada sumens cibum; et signa et prodigia multa faciens. Quadam die, presentato sibi a quodam uiro, proprio filio, Hereciano nomine, catenis constricto, quia pro suis sceleribus a demonio uexabatur, pro eo fundens orationem Domino, comminatus est demoni, dicens: «Exi ab eo, damna te, et plasma Dei relinque!». Moxque demon ad eius imperium foras egressus, dimisit hominem sanum. Mulier, quae ab infantia propter infirmitatem scabrorum lumen amiserat oculorum, audiens sanctum Dei pollere signis, uenit ad eum, et lacrymosa uoce humi prostrata, ait: «Miserere mei, serue Dei, tribue michi tuis precibus lumen amissum!». Sanctus uero renuens, ait: «Recede mulier, non est in me ista uirtus». Cumque illa eum adiurans, in precibus perduraret, uir sanctus rogauit fideles, qui aderant, ut secum pariter misericordiam Domini implorarent, et ait: «Domine Deus meus, rex celi et terrae, qui propter nos in mundum uenisti et humanam carnem de beata Maria uirgine suscepisti, qui dixisti discipulis tuis: “Quodcumque petieritis, credite, quia accipietis et fiet uobis”, illumina hanc mulierem, de tua misericordia confidentem». Et his dictis, signauit oculos eius, et statim uidit. Tunc relatum est Iustino Imperatori, quod a beato Proculo idolorum cultura exterminaretur. Qui mox iussit satellitibus, ut

[Page 271]

eum inquirerent et constrictum catenis suo conspectui presentarent. Quod cum audissent Christiani, timentes amittere seruum Dei, uenerunt ad eum et aierunt ei: «Serue Dei, salua animam tuam hoc tempore, et pro salute fidelium te reserua». Cumque sanctus magis fateretur se pro Christo uelle pati, quam furorem uitare inimici, uim facientes ei fratres, duxerunt eum usque Nequinam, de celestibus loquentes semper.

Tunc Valentinus, episcopus Tyriae, quae hodie Interamnensis uocatur, ut audiuit famam beati Proculi, uenit ad eum et secum duxit ad episcopatum, et licet se clamaret indignum, tandem beato episcopo acquieuit, ut sacerdotii gradum reciperet. Quo suscepto, dum sacrificaret quadam die hostiam immaculatam Deo, assistente ei Valentino episcopo, ecce angelus Domini ueniens tulit calicem, ac uidentibus omnibus, qui aderant, deportauit in aëra, et post spatium duarum horarum rediens, super altare posuit, dicens beato uiro: «Dominus benedixit, tu liba eum». Quo facto, magnas Deo Valentinus episcopus cum uniuersis, qui aderant, gratias retulit, qui magnificat seruos suos. Sed et in die Resurrectionis, hora Missarum, angelos audiuit in celo gloriose cantantes, ac ab eis accepit horam Domino sacrificandi hostiam laudis illibatam.

Tunc pagani, uidentes Christi cultum per beatum Proculum ampliari, miserunt speculatores, ac in prefatam Tyriam uenientes, perquirentes beatum Proculum, inuenerunt eum, cum sancto Valentino episcopo et cum multis aliis Christianis orantem. Quos comprehendentes perduxerunt ad Adrianum, prefectum ciuitatis Nequinae, qui sanctos interrogat, utrum serui an ingenui essent. 22 Cui ait beatus Proculus: «Serui sumus domini nostri Iesu Christi, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae. Prefectus dixit: «Iuro per deos, quod si non sacrificaueris diis, diuersis penis te interficiam, et non liberabit te Deus tuus, quem Iudei crucifixerunt!». Respondit sanctus Proculus: «Miser, dii tui, quos colis, nec aliis prosunt nec sibi, sed in inferno detinentur, igne perpetuo cruciandi!». Tunc prefectus iussit eum

[Page 272]

diu cedi et catenis constrictum in carcerem mitti cum aliis Christianis, et ante carcerem poni custodes. Beatus uero Proculus pernoctans, orauit ad Dominum, dicens: «Domine, non erubescant, qui te expectant, et non reuereantur, qui querunt te, Deus Israel». Circa mediam autem noctem ecce angelus Domini cum nimio splendore, apertis foribus, ingressus est ad eos, et exhortans eos et benedicens, duxit extra ciuitatem, dimisitque eos. Qui reuersi sunt ad loca sua, magnificantes Dominum. Sanctus uero Proculus uenit in oppidum, quod uocatur Lazanum, inuenitque ibi uenerabilem uirum Volusianum, cum quo diu

permanens, egrotis multa beneficia conferebat. Inter quos quaedam puella ad uirum Dei adducta est, per decem annos paralysi laborans et carens membrorum officio: quae a medicis numquam curari potuit. Beatus autem Proculus pro ea orans, dixit: «Domine Iesu Christe, qui incuratam mulierem per decem et octo annos ab infirmitate curasti, respice ad preces meas et hanc puellam pristinae sanitati restitue». Mox puella sana surrexit; magnificentibus, qui aderant, Dominum, qui mirificat sanctos suos. Neromanus quidam nomine, febribus laborans, audita fama beati uiri, ad eum ueniens, postulabat humiliter se ab eo pristinae sanitati restitui. Sanctus uero Proculus et Volusianus pro eo Dominum orauerunt, dicentes: «Domine, qui sanasti socrum Petri et puerum centurionis, sana hunc per preces seruorum tuorum, ut cognoscant omnes, quia tu es Dominus Deus noster». Cumque, qui aderant, respondissent «Amen», erexit se febricitans sanus et a beato Proculo baptizatus est.

Interea beatus Valentinus prefatus, apud Urbem martyrio coronatus est, cuius loco beatus Proculus succedens, signa multa et prodigia faciebat, et multi baptizabantur, eratque in ecclesia magna letitia de tanto pontifice. Sed antiquus hostis ei inuidens, eius famam extinguere est conatus, mittens inhonestos quosdam Chri-

stianos, qui papae Eugenio suggererunt, quod Proculus, episcopus Interamnensis, ante solis ortum Missam celebrans, repente post eucharistiam sumit cibum, infirmitatem ac stomachi debilitatem, quam sanctus ex longe ante habitis afflictionibus patiebatur, omnino tacentes. His auditis, papa commotus animo, iussit cubiculariis suis, ut celerius euntes, eum ad se ligatis post tergum manibus ducerent. Sed cubicularii cum peruenissent ad eum, remissius eum affati sunt, dicentes: «Carissime Procule, domnus papa mittit, ut nobiscum uenias, et ante conspectum eius assistens ad interrogata respondeas». 40 Sed cum iam esset sero, iter distulerunt ad mane. Dei autem famulus surrexit media nocte, et Missas celebrauit, et sumpta eucharistia, rogauit papae nuntios, ut secum ederent: cui assentire noluerunt. Cum uero iter agerent, contigit, ut sodales eius ex calore solis sitibundo pectore anhelarent. Quibus cum multum episcopus condoleret, uidit ceruam cum hinnulo suo iter carpere; cui in nomine Domini imperauit, ut staret; quae mox stetit ad eius imperium: quam uir Dei mulgens, sociis potum dedit. Nuntii uero papae intuentes prodigium, humo tenus se prostrauerunt ad eius uestigia, ueniam postulantes. Dominus autem uolens magnificare sanctum suum, misit angelum suum in uisu noctis, dicentem papae: «Dimitte seruum meum Proculum, episcopum Interamnensem, et quae ab eo facta sunt, recte et non sine causa, cum Domino intellige operata». Tunc presul, ex uisione perterritus, misit ex latere suo honorabiles nuntios, ut ubicumque obuiarent sancto, cum magno honore dimitterent eum, pro se ueniam postulantes. Cumque intuentes eum uellent cum honore dimittere, et ueniam postulare, noluit beatus Proculus, dicens se uelle uidere tanti pontificis uultum. Tunc ascendentes equos cum gaudio, abeuntes Romam, se pontifici presentarunt: qui uidens secum Proculum, cecidit ad pedes eius, dicens: «Sancte Dei, sume culpabilem, et ueniam da poscenti, pro te ab angelo flagellato!». Cui sanctus: «Noli, Pater, sic humiliando te, decus Catholicorum minuere, sed me transgres-

sorem pro merito tuae argue uoluntatis». Tunc complectentes se, ac diebus pluribus commanentes, se diuinis eloquiis refecerunt. Beatus uero Proculus, a papa benedictione accepta, reuersus est in locum suum, in quo multi ab eo ab obsessis corporibus demones sunt fugati, ceci illuminati, manchi restituti, surdi et ab aliis languoribus, per inuocationem Christi nominis, pristinae redditi sanitati. Eo tempore Britius episcopus, Carpofores et multi alii, qui cum eo de Syriae partibus uenerant, miserunt ad eum, ut ad eos Spoletum quam citius properaret: qui ad eos Spoletum cum Volusiano ueniens, salutauerunt se in osculo pacis. In ieiuniis uero et orationibus sancti Domini persistentes, idolorum culturam sua predicatione euacuabant, infirmis sanitates plurimas impendentes. Inter quos paralyticus membrorum omnium officio destitutus erat: sed pro eo rogantibus sanctis, eleuatis oculis in celum, rogauit beatus Proculus Christum, ut eum incolumem restitueret, a peccatis pariter liberando. Tunc homo plenarie est sanatus, et qui aderant, gratias Domino retulerunt. Eo tempore presidebant Spoleti Turgius et Leontius, prefecti nequissimi, qui uidentes signa et prodigia, quae Dominus per

suum famulum faciebat, zelo iniquitatis repleti, miserunt spiculatores, ut ubicumque inuenirent sanctos, ducerent ante conspectum eorum compeditos. Nocte uero eadem apparuit Dominus per uisum beato Proculo, dicens: «Dilecte mi, surge cum fratribus tuis, et ad partes alteras euntes, hoc tempore uos saluate. Tu autem uade Bononiam, et predica nomen meum populo terrae, et multis per te conuersis et ab errore uiae suae ad ueritatis semitam reuocatis, uenies ad me triumphator cum palma martyrii». Completa uisione, Proculus surgens, ait fratribus: «Fratres, surgite eamus, quia dominus noster Iesus Christus hac hora apparuit michi dicens, quia mane perimendi estis, nisi uos saluaueritis: mihi autem precepit, ut eam Bononiam». Tunc exierunt nocte illa a Spoleto, et dantes sibi osculum pacis, ab inuicem recesserunt.[Page 275]

Beatus uero Proculus cum uenerabili Volusiano Bononiam ueniens, in domo cuiusdam, qui Theodonus uocabatur, hospitati sunt. In cuius domum ingrediens beatus Proculus, ait: «Pax omnibus, qui unitatem ueramque Trinitatem fatentur». Cui Theodonus ait: «Video te prudentem uirum inania uerba formare; tamen cuius sectae sit haec doctrina, mihi cupio pandi». Cui sanctus respondit: «Si ad hanc ueritatem attingere uelles, carere te oportet demoniacis pompis, ut credere ualeas Verbum uitae Deum et hominem, dominum Iesum Christum, qui de utero Mariae uirginis natus, et passus sub Pontio Pilato etc., ut in Symbolo continentur». Respondit Theodonus: «Credam hunc, quem predicas, Deum esse, si per eius inuocationem manum aridam filii mei unici potueris restaurare». Beatus autem Proculus mox tulit prolem illius, et inuocato nomine Domini Iesu Christi, restituta est manus filii eius, acsi nihil mali habuisset. Tunc credidit Theodonus, et baptizatus est et tota domus eius. Erronianus autem quidam, ut audiuit signa, quae faciebat Dominus per hominem sanctum, tollens filium suum, qui a demonio uexabatur, constrictum catenis duxit ad sanctum Dei. Qui pro eo orauit ad Dominum, dicens: «Domine Deus omnipotens, expelle hunc nequissimum spiritum ab homine isto, ut cognoscant omnes, quia tu solus es uerus Deus». Et haec dicens, apprehendit manum demoniaci, et comminatus est demoni dicens: «Da honorem Deo uiuo et uero, recede ab hac creatura Dei!». Ad cuius uocem mox ut fumus terribilissimus de corpore pueri egrediens, dimisit hominem sanum. Tunc Erronianus cum omni domo sua baptizatus est, et alii LXXIX, et facta est letitia magna in plebe Christianorum. Totila igitur rex Longobardorum atque Gothorum, ut audiuit, quod per beatum Proculum idolorum minueretur cultura ac Christi cresceret nomen, quasi leo seuiens Bononiam uenit, et fecit beatum Proculum perquiri, et uinctum catenis ante se duci. Quem intuens, ait: «Omnium malorum auctor, cur uiperino toxico regnum meum taliter destruxisti, ut ipsi dii nostri responsum dare non uelint?». Beatus Proculus respondit: «Magnas age gra-

tias, miser, quia regnum tuum, comptum et politum, beata sanctaque doctrina Dei et electorum repletum, auro obrizo potest non immerito comparari».

Tunc Totila iratus, precepit spatario ac didascalo ludeorum, ut binas auferrent loras a tergo eius prius, et postea caput eius amputarent. Beatus autem Proculus antequam decollaretur, orauit dicens: «Domine Iesu Christe, accipe in pace spiritum meum». Completaque oratione, genua flexit et spiculator accedens, euulsis loris binis, bis ense collo percusso, caput eius amputauit. Et tunc lux magna super sancti corpus per spatium duarum horarum emicuit. Venerunt autem sancti uiri, quos ipse baptizauerat, et corpus eius tollentes, extra muros in optimo loco cum aromatibus condiderunt.

Beatus autem Volusianus, colligens sanguinem eius in uase argenteo, in ciuitate, quae dicitur Castellum, de eo oculos ceci liniens, lumini restituit; item per dictum sanguinem mulier est a fluxu sanguinis liberata. Tempore procedente, puer mortuus iuxta sepulcrum eius positus uitae est restitutus. Corpus uero sancti inuentum est cum capite nulla lesionis signa habens, et multa alia miracula ibi est Dominus per ipsum mirabiliter operatus.